

**Q**VI regis imperio populos, qui legibus vrbes,  
 Iuncta Nauarrao Francica scepra gerens,  
 Borbonium nomen, Christi cura vnica, saceli  
 Delicium, Magni magna patris soboles;  
 Accipe contractum tabulis quem mittimus orbem,  
 Nobilis aeterni est hæc positura Dei.  
 Hæc perit, ille manet: magna hæc, ter maximus ille est,  
 Ille bonus, signum huic sed' bonitatis inest.  
 Nam fecit bona cuncta bonus. Mortalia non diu  
 Stare queunt Parcæ quo posuere loco.  
 Gallia fulgenti fulgens est orbis in orbe,  
 Nil tamen illa tuo numine maius habet.  
 Cui potui melius descriptum mittere mundum,  
 Quam qui mundi oculum deliciaeque regit?  
 Sic viuas, sic lætus oues, sic gaudent vsque  
 Borbonius Gallo, Gallia Borbonio,  
 Vt non despicias munus quod Bertius offert,  
 Magna etiam paruis gratia adesse potest.

Quid verò dignius celsa illa majestate Tua facere potes, quam si ex sublimi, quo positus es, loco, terras, maria, flumina, montes contemplere? regna & respublicas inspicias? quidque in ijs a maioribus Tuis laudabiliter patratum sit, ipse cognoscas, inritamentum gloriæ, virtutisque ex ijs petens documentum? Hoc animo quondam Darius a Scylace, a Marciano Nicomedes, a Plinio Vespasianus Geographica acceperunt. Eodem Augustus & Antonius tres terrarum mensores per orbem miserunt, qui post insumptos xxx annos, ad Senatum observationes suas retulerunt. Sed & Imperator Antoninus Itinerarium orbis conscripsit, & Agrippa Vipfanius Augusti gener maximam Europæ partem ipse dimensus est, orbemque totum Vrbi spectandum proposuit, porticu ad eam rem exstructa. Carolum Magnum, qui Francorum regnum primus constituit, morientem tres mensas argenteas reliquissè narrat Rhegino, vnam forma quadrata, quæ Byzantinæ vrbs descriptionem continebat, alteram rotundam, Romanæ vrbs effigie insignitam; tertiam cæteris & operis pulchritudine & ponderis grauitate præstantiorem, quæ ex tribus orbibus connexa, totius mundi descriptionem subtili & minuta figuratione complectebatur, cui quarta insuper aurea non dissimilis argumènti inserta fuit. Abel Feda Syriæ Rex potentissimus Geographiam ipse accuratam edidit. Cosmographiam

phiam suam Munsterus Carolo V Imperatori , Germaniam Beatus Rhenanus  
Ferdinando inscripsere. Intellexerunt scilicet viri magni, hæc studia maximè dece-  
re reges, qui si ad potentiam suam hanc rerum cognitionem adiungant, videntur ad  
Deum ipsum quam proximi accedere. Mihi, magnum quid, sed non sine exemplo  
audenti, suffecerit, si sub augusto Majestatis tuæ nomine Tabulæ nostræ in orbem  
eant, legendæ spectandæque, quam late vel nunc patet, vel vnquam post no-  
stram memoriam in terris patebit inelytum Borbonium nomen. I E S V S Christus  
Regni Francici Stator & Sospitator Regnum Tuum auspicijs suis ornet, motum  
sedet, surgens augeat, auctum florensque conseruet, Maiestatis tuæ, & publico bono,  
ad suam gloriam. Dat. Lugd. Bat. x Kal. April. Anno c I o I o c x v i.

\* iij

PRÆFA-

